DE

SIGNIS EX VENTRE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE XXI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ANTONIUS NAGEL

LEOBSCHUECENSIS - SILESIUS.

OPPONENTIBUS

FR. KAAS MED. DD.

TRAUG. JAKISCH MED. DR.

PH. MEYER MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

* qui manibus contrectavit ventrem (et venas) minus falli potest, quam qui non contrectavit.

Hipp. Praedict. II. 70.

VIRO

CLARISSIMO EXPERIENTISSIMO

ANTONIO BIEFEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ET NOSOCOMII NEOSTADIENSIS A FRATRIBUS VENERANDIS QUOS DICUNT MISERICORDIAE ADMINISTRATI MEDICO.

AFFINITATE IUNCTO ET AMICO

DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quamquam bene constat, eum tantum de Semiotices aliqua parte scribere posse, qui multorum iam morborum decursum viderit, magnamque experientiam acquisiverit, liceat tamen mihi tironi, ad me ipsum edocendum, quae in operibus veterum medicorum et cum experientia virorum nostrae aetatis congruentia inveni symptomata, in morbis ex ventre capienda, in dissertatione mea describere. Et hanc quidem elegi Semiotices partem, quia venter (cuius nomine totam a processu xiphoideo ad arcum usque ossium pubis partem intelligo) ob viscera, quae includit, atque ob intimum connexum cum cetero corpore plurimis in morbis afficitur, atque ob structuram propriam haud pauca nobis praebet signa. Symptomata ex ventre autem, quae nos certiores faciunt in diagnosi, omnia vel dispersa, vel non sat distincte descripta vel praetermissa sunt in compendiis therapeuticis. Primo signa, quae volumen totius ventris auctum aut minutum in

morbis nobis praebet, adnotavi; dein illa ex praecordiis, quae partes sunt supra umbilicum utrumque ad latera spuriis sic dictis costis subiectae 1); denique, quae ex lumbis, et ex abdomine inferiori mutato, nec minus ex calore ventris capienda sunt symptomata, collegi.

De Signis, quae ex toto ventre capienda sunt in morbis.

§. 1.

Si circa umbilicum et pubem cutis plana, si praecordia sine ullo sensu doloris aequaliter mollia in utraque parte sunt; quodsi paulo tumidiora sunt, tamen digitis cedunt, et non dolent; haec valetudo, ut spatium aliquod habebit, sic tuta erit 1). Sin autem venter tumidus et durus est iis, qui non omnino leviter febricitant, in eodem consistit, et nihil concidit, malum est, ac longitudinem morbi significat. 2) At quibus abdomen

---

1) Prosper Alpin. de praesagienda vita et morte aegrotantium. Frankf. et Lips. 1754. L. V. c. 9.

1) Hippocratis opera omnia ed. van der Linden. Lugd. Batav. 1665. Aph. II. 35. et A. Corn. Celsi de Medicina. Lips. 1766. L II. c. 3.

2) Hipp. Aphor. II. 28.

totum sine infatione, tensum tamen invenitur, et non dolet, vires et intentiones contra naturam timendae sunt; quapropter hanc tensionem quavis in febre acuta invenimus, praecipue autem in stadio cruditatis, et signum coctionis, si venter mollior apparet nobis est certum, ita ut tensione celeriter intrante morbus in cruditatem recidivus, aut metastasis se manifestet. Si exanthemata eruperunt et venter subito durus tenditur, eorum regressus timendus est. In morbis vero chronicis haec tensio, quae saepius minuitur, iterumque calore ventris non mutato augetur, convulsionum plerumque est signum 3). In paroxysmis morbi hypochondriaci et hysterici, epilepsiae aliorumque talium morborum hanc intrare videmus tensionem sine ullo significatu 4). Febrientibus vero ructus adsunt et flatus, strepitus ac elevationes ventris, his fit alvi excretio. Qui diutius secure ex febre continua laborant citra dolorem aut inflammationem aut aliam causam, his abcessus expectandus est cum dolore ac tumore, et magis in infernis partibus 5).

§. 2. Tensio totius ventris cum inflammatione, et gravitatis sensu in morbis chronicis subito intrans Meteorismus nominatur. Cum tor-

3) Hufeland über Skrofelkrankh. S. 120.
4) Kurt Sprengel Handbuch der Semiotik. Halle 1801. §. 432.
5) Hipp. Coacae Praenot. 190.

minibus et borborygmis intrat, dolorum expers et sine aliis inflammationis alicuius signis. Originem suam aut ex aëre in intestinis incluso, aut ex sordibus intestina implentibus, quibus eiectis finitur, trahit, et nil adversarii indicat. Sin autem meteorismus in decursu febrium serius intrat, et venter fervidus est, contactuque digiti dolores augentur cum urinae secretione suppressa inflammationem aut intestinorum in dysenteria et colica, aut peritonaei in puerperis indicat 1). Ut vero in longis morbis venter praeter rationem et derepente extumidus, itemque sub quo necessaria egestio non cohibetur, convulsionem aliquam subesse attestatur. 2) Mortis autem signum febrientibus erit meteorismus, si ventrem laxum et inflatum cum energia omnium organorum deficienti, cum flatubus aut alvo putrida et ructu male odorato videmus 3). Saepissime in febribus putridis eum videmus, ubi semper paralysin intestinorum et mortem instantem indicat 4). Neque vero accedit, ut, dum crebrae deiectiones aegrum fatigant, manu in ventrem imposita, motus nullus

---

1) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 437.

2) Hipp. Coac. Praenot. 110.

3) Hipp. Aphor. VIII. 27. et K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 438.

4) Danz allgem. Zeichenlehre v. Heinroth. Leipzig 1812. §. 60. und S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwissenschaft. Stendal 1789. B. 2. S. 5.

sentiatur, etsi copiosi flatus mittuntur. Tunc spes proxime finiendi morbi est. 5) In convalescentia autem, si venter tumidus et cum sensu gravitatis manet, hydrops aut tabes timenda est, aut morbus recidivus. 6)

§. 3. Ascites verus ex tumore chronico cognoscitur, qui a doloribus profundis et sensu gravitatis incipiens subito magnam abdominis partem occupat et celeriter crescit. Venter ipse pallidus est, mollis ac tumidus, et dolorum expers, si manu eum comprimis. Dein et pedes et scrotum intumescunt. Umbilicus prominet. 1) Et aliquam si in partem alteram manum imprimens, altera latus oppositum pulsaveris, fluctuationem quidem manifestam, sed sonitum nullum percipies. Ad alias enim partes humiditas transfluet. Verum etiam in corporis ad alterutrum latus conversionibus humor in locum declivem et tumorem et fluctuationem facit. Quin etiam sicubi digitum impegeris locus cavus efficitur, diuque cavus perseverat. 2) Pulsationes in regione praecordiorum, anxietas et respiratio difficilis, aestusque in intestinis morbi altiorem indicant gra-

5) Hipp. Praedict. II. 135.
6) Danz Zeichenlehre. §. 86.
1) Max. Stoll Praelect. in divers. morb. chron. Vindob. 1788. T. II. p. 299.
2) Aretaeus de causis et signis morb. diutur. ex ed. H Boerhaave. Lugd. Batav. 1735. L. II. c. 1.

dum, 3) plerumque inflammationem intestinorum, ita, ut rigores saepe intercurrentes hydropico suppurationem nuncient. 4) Caput autem et manus et pedes, si frigidae sunt, malum est, ubi venter, et latera calida sunt. Optimum vero est, et totum corpus aequaliter calidum esse, ac molle. 5) Aquae porro inter cutem ex acutis morbis obortae, omnes male sunt, neque enim a febre liberant, et valde dolorosae sunt, ac lethales 6).

§. 4. Tympanites flatulenta et perstans abdominis totius elevatio calida audit. Praeter tumorem etiam sonorus est, nam ad palmae percussum venter non fluctuationem, sed sonum edit. Neque ad corporis conversionem spiritus locum mutat, etsi enim locus ambiens aliquorsum inclinat, spiritus tamen aequalis supra, et infra ubique permanet. 1) Aegrotus ab aestu saepe vehementi in abdomine vexatur, sensum vero gravitatis, ut Asciticus non sentit. 2)

Non confundatur hic morbus cum colica flatulenta, neque cum Meteorismo. Illa enim dolorifica est, et transitoria, hic vero est symptoma

---

3) K. Sprengel Handb. der Pathol. Leipz. 1795. B. 3. §. 748.
4) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 169.
5) Hipp. Praenot. 120.
6) Hipp. Praenot. 110.
1) Aretaeus de causis et signis morb. diut. L. II. c. 1.
2) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. III. §. 804.

febrium acutarum. 3) Tympanites autem semper chronicum praebet decursum, et temporis spatio vix mutatur, nisi intestinalis sit, qui flatubus erumpentibus volumine suo minuitur. 4) Inflammatio, si accedit, aut umbilici, aut intestinorum, mortem praenuntiat. 5)

§. 5. Durus in ventre tumor cum tenesmo et torminibus coniunctus, et doloris expers, dum digito venter comprimitur, signum est Dysenteriae, si aegrotus potum, aut cibos sumtos ad intestinum rectum usque collabi sentit. Choleram autem significat, si gravitatem adhuc in praecordiis, et intestinis cum spasmis saepe coniuntam sentit. Et prosopalgia aut trismo laboranti etiam malum indicat, si abdomen totum tumet, et durum est. 1) Morbo scrofuloso oriente durus non invenitur venter, sin autem tumidus, et durus fuerit gradum indicat morbi altiorem. 2) Non febrientibus abdomen totum squamosum ac tumidum signum est dibilitatis, quae viris supervenit, qui Veneri immodice dediti erant, qui autem Baccho, illis hydropem indicat. In mulieribus saepe menstruationis turbatae est signum. 3) In febri-

---

3) M. Stoll Praelect. T. I. p. 89.
4) G. S. Richter dissert. de Tympanite. Argent. 1783.
5) R. A. Vogel Praelect. academ. §. 662. et seq.
1) Danz Zeichenlehre. § 113. et seq.
2) Hufeland über Scrofeln. S. 116.
3) Danz Zeichenlehre. §. 57.

bus intermittentibus inflatio ventris malum est signum, pessimum, si inflammatio intestinoum accedit. 4)

§. 6. Sensibilitas abdominis totius aucta aut congestiones indicat in his partibus, aut inflammationem. Qua de causa ventrem in Dysenteria aut colica semper bene exploremus necesse est. 1) Sic etiam in morbis infantum, cum ex pulsu diagnosin non semper certam trahere possimus, abdomen irritabilitatem auctam bene indicabit. Infantes, quibus venter tumidus est, et durus, vermibus laborant, si manibus etiam abdomen praehendunt, 2) et dolores in ventre saepe intrant, saepe redeunt, ac vehementiores quidem, si amarum aut dulce aliquid sumserant infantes, aut ieiuni sunt. Aegroti hoc morbo correpti lumbricis laborant, si tumor ventris locum suum non mutat, taenia vero, si abdomen modo hic, modo illic magis tumet et dolorificam in abdomine vellicationem et rosionem aegri conqueruntur. 3) Oris ventriculi dolores cum torminibus eruptionem vermium saepe praedicunt. 4)

---

4) le Roy Vorherverkündigung in hitz. Krankheiten. S. 90.

1) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 433.

2) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. T. IV. S. 144.

3) de Stoerck Praecept. med. pract. Viennae 1777. T. II. p. 71.

4) Hipp. Coac. praenot. b. 60.

§. 7. Ventris dolores in febribus, si subinde cum murmuratione et signis salutarem fibrarum relaxionem conconiitantibus iudicatorium alvi fluxum utplurimum praesagiunt. 1) Ubi vero dolores in febre acuta vel ad unam, vel ad omnes abdominis regiones extensi, 2) ardentes, pungentes, accutissimi, per vices moderati, mox autem redeuntes, et ad summam atrocitatem adaucti cum vomitu, meteorismo, alvi obstructione ac interdum cum diarrhoea et tenesmo coniuncti observantur, Enteritidem 3) indicant. Venter nunc manifeste satis tenditur, atque constrictis abdominis musculis et durior redditur, et attactum fere quemvis dolentissimus recusat. Quamvis vero integrum persaepe abdomen in Enteritide doleat, ardeatque, est tamen, ubi a primis saltem morbi initiis ad affecti naturam intestini, sedemque mali distinctam concludere liceat. Si dolor ad medium fere ventrem et circa umbilicum urget, intestina utplurimum laborant tenuia. Ubi symptomata sub praecordiis magis sub pleuritidis, aut hepatitidis specie, vel ex altero illorum latere ad alterum, tensae fere cordae adinstar, 4) ac sub ventriculo,

---

1) Pezold de prognosi in febr. acut. Lips. 1778. §. 116.

2) Aphorismi de cognosc. et curand. morb. ab. H. Boerhaave. Norinberg. 1747. § 960.

3) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. 4 Th. S. 296. u. P Frank. de curandis homin. morb. Epit. Mannhemii 1792. T. II. §. 239.

4) Ibidem. T. II. §. 240.

hepate, liene, vel circa renes maiora observantur, tunc intestinum, vel coecum, vel colon inflammatione tenetur.

§. 8. Si in aliquo loco, quem peritonaeum ambit, dolor sub attactu, vel motu corporis inflammatam partem extendente, comprimente, ardens augetur, ut plurimum cum febre sine propriis aliarum inflammationum abdominalium signis, inflammationem peritonaei, aut omenti, aut mesenterii nobis indicat. 1)

Si pars illa, qua mesenterium formatur, a morbo correpta est, profundus utplurimum dolor et ardens, qui a dorso fere incipiens in umbilici regione persistit, ab attactu magnopere augetur, et sub erectione corporis tussis excitatur. Tumor simul, ac durities hac in fere manifeste distinguitur. Signa vero alia, quae intestinorum inflammationi competunt, non inveniuntur. Si omentum inflammatum est, dolor ardens cum febre acuta, et cum absentia signorum inflammationis intestinorum partem abdominis anteriorem, et priorem, tam supra, quam infra umbilicum occupans cum tumore, tensione, tactusque impatientia lucem hic aliquam afferre potest. 2) Si mox a partu vel abortu, ut plurimum secundo, vel, tertio die

---

1) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. 4 Th. S. 272.

2) P. Frank Epitome. T. II. §. 217.

venter mulieribus, circa umbilicum inprimis, tum sub costis spuriis, et has inter cristamque ossis ilei superiorem, et ad vesicae regionem calide intumescit cum anxietate, respiratione difficili, et cum dolore, nunc aliquo modo remittente, mox vero summopere adaucto, vix unquam autem attactum perferente febrem puerperalem, et inflammationem peritonaei, uteri et ovariorum indicant haec symptomata. 3) Tumor iste magis magisque crescens lympham nunc exudatam indicat. 4) Quando abscessus ex tegumentis externis formatur, aegrotae saepius sanantur. 5) Semper autem ex dolore diuturno partium circa ventrem suppuratio, et si frigus extremarum partium adiungitur malum est. 6) At abdomen, si frigidum iis apparet, quos intestinorum tenuit inflammatio, aut puerperis gangraena in propinquo est, aut si tardius oritur, hydrops, et febris erratica tandem iugulans timeri debet. 7)

§. 9. At in ventrem decumbere, si quis non sit adsuetus, dum sanus fuit, ita dormire, delirium significat, aut dolorem locorum circa ven-

3) P. Frank Ibidem.

4) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. 4 Th. S. 273.

5) P. Frank Epitome. T. II. §. 220.

6) Hipp. Aphor. VII. 22 et 26.

7) Semiot. physiol. et pathol. general. compl. Chr. God. Gruner. Hallae 1775. §. 899.

trem. 1) Infantibus autem aut hydrocephalum aut vermes, 2) si manibus ad umbilicum agunt, adhuc indicat.

§. 10. Volumen abdominis multis in morbis non aequaliter augetur, sed partem aliquam prominentem aut duram aut mollem invenimus.

Tumores in ventre duri, et doloris expertes aut obstructiones aut indurationes partium, quae loco illi subpositae sunt, indicant. 1) In febre putrida tales tumores, qui contactum digiti non cencedunt, inflammationem intestinorum praenuntiant. 2) At vero molles tumores et doloris expertes, et qui digito cedunt, diuturniores iudicationes subeunt, et minus illis sunt horrendi. Si vero transgrediatur sexaginta dies febris detinens et tumor non considat suppuratum iri significat, et hunc in praecordio, et eum, qui in reliquo ventre est, eodem modo. Ceterum tumores in ventre minus faciunt abcessus, quam hi, qui sunt in praecordiis. Minime vero hi, qui sub umbilico consistunt, ad suppurationem convertuntur. Sanguinis vero eruptionem ex supernis locis maxime expectare oportet. 3)

---

1) Hipp. praenot. 55.
2) Conradi Grundriss der allg. Pathol. Marburg. 1817. §. 644.
1) Danz Zeichenlehre §. 60. und K. Sprengel Handb. der semiot. §. 443.
2) S. G. Vogel. Handb. der pract. Arzneiwiss. 2. Th. s. 21.
3) Hipp. praenot. 95.

§. 11. Ubi intestinum prolapsum est, tumor ventris circumscriptus neque durus neque mollis est, omni frigore comminuitur, non solum sub omni calore, sed etiam retento spiritu crescit, sonat interdum, atque, ubi resupinatus est aliquis, delapso intestino, ipse disidit. Ubi vero omentum est, cetera similia sunt, tumor mollior ab ima parte latus, extenuatus in verticem est; si quis apprehendit, elabitur. Ubi utrumque est, indicia quoque mixta sunt, et inter utrumque mollities.

At caro durior est, 1) semperque etiam resupinato corpore tumet, prementique non cedit, prioribus facile cedentibus. Humor autem in ascite circumfluit, si premitur. At spiritus in tympanite pressus cedit, sed protinus redit; resupinato quoque corpore tumorem in eadem figura tenet. Hernia umbilicalis adultis semper iuxta umbilicum in linea alba et forma ablonga invenitur, infantibus autem rotunda in umbilico ipso. 2) Inter processum ensiformem et umbilicum in sinistro plerumque latere lineae albae tumor invenitur, qui celeriter ad magnitudinem ovi columbini crescit, doletque, dum inflammationis signa desunt, et vomitum, si manu comprimitur, efficit. Hic tumor prolapsum omentum indicat. 3) Hernia

1) Celsus de medicina. L. VII. c. 14.
2) K. Sprengel Handb. der Pathol. 1. Th. §. 617.
3) Richter von Brüchen. Th. II. S. 55.

ventralis notha frigidus est tumor, aliquando durus, aliquando mollis, plerumque circumscriptus, qui lente crescit, et dolore in partibus internis caret, si premitur. Sedem suam aut in musculis externis habens mobilis est tumor, aut in cavum abdominis se extendens pressu cedit. Hernia abdominalis ventosa elasticus est tumor et levis. 4)

§. 12. Sat frequenter obvenit, ut homines ceteroquin etiam sanissimi per plures dies alvum non excernant, unde per moram stercora accumulantur, indurantur, angens tandem pondus, et obtusus dolor in abdomine percipitur, tenesmus se adiungit continus, ut omni quidem conatu, irrito tamen effectu alvum deponere adlaborent, quo in casu saepe abdomen contrahitur, ut ibidem in intestinis dura globosa stercora tangantur; nunquam abdomen simul inflatum est et tensum, sed haec inflatio inaequalis est, et una plaga prae altera plus minus elevata sit. 1) Si volumen abdominis saepe, et inaequaliter hystericis augetur, et iterum minuitur, tympaniten indicat. 2)

§. 13. Si femina gravida, et venter in alterum latus sit proclivis est, ut tumidus et tensus, calidusque ac dolens promineat, flexionem uteri

---

4) Schmalz Diagnostik in Tabellen. Dresden 1816. S. 147.

1) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 202.

2) K. Sprengel Handb. der Pathol. 3 B. §. 807.

lateralem indicat, si exploratio per vaginam alia symptomata tribuit 1). Extremis graviditatis verae hebdomadibus volumen abdominis inaequaliter auctum situm infantis abnormem indicat, simul si aegrota de doloribus vagis aut supra umbilicum fixis conqueritur. Obliquum infantis situm in utero dolores trahentes et tensiones laterum magis prominentium praedicunt. 2) Gemellos autem linea alba contracta, aut plana saltem, dum latera ambo gravidis prominent praesagit. 3) Signa graviditatis extrauterinae dolores sunt in abdomine, ut in colica, sed fixi et persistentes aut in regione umbilici, aut in altero loco, qui simul calide intumescit, et compressum non concedit digito, nisi dolores augeri velis. Tumor ille mense quarto facile ab utero removeri potest, et distincte, si inquirimus hunc locum partes infantis prominentes per integumenta communia explorare possumus. 4) Gravida clarius sentit infantis motus, quam in graviditate uterina. Alia signa exploratio per vaginam dabit 5).

§. 14. In graviditate cum ascite coniuncta volumen aequaliter quidem totius ventris auctum

1) ibidem I. B. §. 607.
2) Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 162.
3) E. v. Siebold Entbindungskunde. Nürnberg 1812. B. I. §. 312.
4) ibidem. B. I. §. 436.
5) v. Froriep Geburtshülfe. Weimar 1818. §. 200.

invenimus et tensum, non autem cum illa similitudine et paritate, quam in graviditate videmus, abdomen crescit. Temperaturam subfrigidam invenies, saepe etiam fluctuationem parcam, nunquam autem partes infantis prominentes per tegumenta communia explorabis, quamvis gravida fortes eius motus in abdomine sentiat, medicus vero nullos, aut saltem non distinctos, 1) si manum ad ventrem admoveas habebis. Septem mensibus praeterlapsis, tumorem umbilici, ut in graviditate normali non invenies, qui formam suam ita mutat, ut octavo mense desuper, nono ab imo, et decimo, ut conus promineat. 2) Diagnosin certiorem etiam exploratio per vaginam tibi dabit. Motus autem veri, qui a foetu originem ducunt, plagae aut percussiones sunt ab intimo utero semper externa tegumenta co munia versus, 3) quae etiam ab alio homine animadvertuntur, si frigida manu, praecipue tempore matutino abdomen premit.

§. 15. Physconia vera, quae saepe post inflammationem intestinorum oritur, tumor est calidus in aliquo ventris loco saepe mobilis, aut mollior, aut durior, nunquam vero aut valde ten-

1) W. Dreyssig Handb. der med. Diagnostik. B. 2. S. 6.
2) E. v. Siebold Entbindungskunde. Th. I. §. 229.
3) ibidem. Th. II. §. 23.

sus aut cum fluctuatione coniunctus sub tegumentis communibus in cavo abdominis. Tumor ab initio doloribus caret, et aegroto, si magnus et gravis, in latus, ad quod decumbit, sequitur. 1)

§. 16. Colicam ex dolore toto in abdomine vehementi cognoscimus. Plerumque quidem, sed non semper dolor iste in praecordio dextro incipiens ad sinistrum latus, et ad partes inferiores transgreditur. Saepe enim cum gravitate circa umbilicum, ubi affectus maxime urget 1) cum tensione praecordiorum, ac torminibus in intestinis oritur. Abdomen aut tumidum, aut in regione umbilici contractum invenitur. Aliis in locis tumores, quamvis intestina indurata sint, inveniuntur, 2) ita ut intestinum hinc inde valde sit dilatatum, alibi vero constrictum. In colica verminosa dolor vagus tandem circa umbilicum vehementissimus resistit. Venter ipse vero in singulis locis durus invenitur. In colica flatulenta venter extensus et elasticus, ac subito, sed non aequaliter sese evolvens valde dolet. Dolores autem sunt vagi cum tensione, et non raro cum pulsatione in scrobiculo cordis iuncti. Umbilicus saepe magnopere prominet. 3) Borborygmi, si alia sympto-

---

1) Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 142.
1) Aretaeus de caus. et signis morb. diut. L. II. c. 8.
2) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. III. §. 391.
3) ibidem B. III. §. 399.

mata mitiora fiunt, bona sunt signa et valetudinem praesagiunt. 4) Sin autem abdomen valde intumescit, et vires prosternuntur, lethalia fere semper sunt signa. 5) Ita ut in febribus acutis convulsiones, et circa viscera dolores fortes malum indicent. 6)

§. 17. Ubi dolores, ut in Colica ardentes aliquod per tempus aegrotum vexaverant, qui mitiores aliquando, semper vero acutissimi redierant, et tumor tandem frigidus et cum sensu gravitatis 1) aliquo ventris in loco exsurgit, omnis nunc doloris et pulsationis expers, tensus, durusque, 2) a quo tumore venter nec subito, nec aequaliter extenditur, sed partes tantum singulares a morbo corripiuntur, Asciten saccatum ostendit. Aegroto ad latus cubante tumor ille, quia sacco circumclusus est, sequi non potest. Fluctuationem, nisi valde promineat, vix experiri poteris, nullumque audibis sonum, si manu tumorem ferias. 3)

§. 18. Dolores in decursu partus, etsi fortissimi, et intolerabiles nihil arguunt, qui digito tangenti non augentur, et communia si tegumen-

---

4) Gallesky Abhandl. v. d. Darmgicht. §. 63.
5) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 200.
6) Hipp. Coac. praenot. b. 60.
1) Dreyssig Diagnostik. B. 2. S. 10.
2) Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 143.
3) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. III. q. 748.

ta contactum patiuntur. 1) Dolores autem in partu, qui et tactu augentur intus ardentes, et non ad pubes, sed ad alterum ventris locum, qui intumescit furentes, et abdomen durum ac tensum, motusque foetus fortes uterum gravidae ruptum iri indicant. 2) Et separationem placentae aut partialem, aut totalem dolores manifestant, si parturientibus, dum caput infantis orificium uteri iam claudit, exigui superveniunt, et rigores cum aestu per vices accedunt. 3)

§. 19. Volumen ventris etiam minutum saepe videmus, quo plures morbos exacte discernere possumus. Colica v. c. Pictonum a doloribus incipit circa ventriculum, et partem superiorem regionis umbilicalis. In principio dolores obtusi, haud admodum vehementes percipiuntur, nec diu persistunt, sed sensim vehementiores, magisque constantes evadunt. De flatulentia queritur aegrotus et vomitu; abdomen contrahitur, adeoque saepe retrahitur umbilicus. ut dorsi vertebris incumbere videatur. 1) Tumores duri in abdomine hoc morbo laboranti recidivam, etsi alia sympto-

---

1) E. v. Siebold Entbindungskunde. B. I. §. 464.

2) ibidem B. I. §. 480. et Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 156.

3) W. A. Haase über Erkenntn. und Cur der chron. Krankh. Leipz. 1817. B. I. S. 495 u. 505.

1) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 203.

mata sileant, praedicunt. 2) Sic etiam umbilicus ad vertebras usque contractus colicam saturninam, cui dolores ardentes se adiungunt, sat indicat. 3) Anasarca abdominalem porro umbilicus profundus indicat, dum totus venter tumidus, frigidus, et mollis est, et digitum si impegeris, locus in eo cavus efficitur, et multum temporis cavus persistit. 4)

§. 20. Si volumen abdominis totius in tympanite minuitur, morbum finitum nondum indicat, nam saepius collabitur, saepius augetur volumen in hoc morbo. 1) Malum autem in exanthematibus et febribus inflammatoriis v. c. in febre puerperali est signum, si volumen abdominis minuitur, 2) nam metastasin indicat. Cui febris deest, et venter non dolens constringitur, ei spasmi in chronicis nervorum morbis indicantur, quos saepe cum hoc symptomate supervenire videmus hystericis. 3) Haemorrhoicis contra, si venter veluti cingulo constringitur, sanguinis fluxus per vasa haemorrhoidalia praedicitur. 4) In

---

2) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. III. §. 401.
3) ibidem B. III. §. 405.
4) Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 136. und M. Stoll Praelect. T. I. p. 59.
1) Dreyssig Diagnostik. B. II. S. 50.
2) Danz Zeichenlehre. §. 59. u. K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 88.
3) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 428 u. 445.
4) Dreyssig Diagnostik. §. 110.

dysenteria vero, si abdomen collabitur, et rigor accedit, 5) mors propinqua est. 6)

§. 21. Si in partu doloribus vehementibus praegressis abdomen tensum, nunc subito molle apparet, postquam gravida dolorem, quasi rupturam in intimo senserat, et fluctuationem nunc, ut in Ascite inveneris, dum dolores ad partum, qui dicuntur, silent, ruptura uteri indicatur. 1)

§. 22. Si in Menostasia uterus a spasmis corripitur, dolores inveniuntur in ventre vagi. Abdomen saepe ad vertebras usque retractum est cum tenesmo, et stranguria. 1)

De Signis ex Praecordiorum Indole in morbis.

§. 1. Magna in morbis tam acutis, quam longis vis praecordiorum est ad eventus praesagiendos, eamque ab causam divinus Hippocrates

5) Zimmermann von der Ruhr. S. 14.

6) Hipp. Aphor II. 35 et K. Sprengel Handb. der Semiot. § 444.

1) W. Haase über Erkenntn. und Cur chron. Krankh. Th. I. S. 506. et Schmalz Diagnostik in Tabellen S. 156.

1) W. Haase über Erkenntn. und Cur chron. Krankh. Th. I. S. 547. und E. v. Siebold Handb. zur Erkenntn. u. Heil. der Frauenz. Krankh. B. I. S. 230

iam dixit: Praecordia, si tum in dextra, tum in sinistra parte mollia, et sine ullo doloris sensu aequalia fuerint, quod si paulo tumidiora sunt, tamen digitis cedunt, et non dolent, 1) magnam spem recuperandae sanitatis faciunt. Et merito sane, cum ipsis ita habentibus nullam partem in ipsorum regione contentam laesam esse cognoscimus; quare in morbis acutis has partes recte se habere non leve est optimi praesagii argumentum. 2) At inflammatum, aut inaequaliter se habens praecordium, aut tensum, et dolens signum est adversae valetudinis futurae, 3) et aegritudinis haud levis 4). Nam viscera intus sita, quae ad vitam tam necessaria sunt, morbosa esse indicat. Bene vero considerandum est, an tensio praecordiorum aut musculis externis, ut in Rheumatismo, aut internis partibus tumida efficiatur. Praecordia tensa, inaequalia, in tumorem elevata, atque dolentia perpetuo mala sunt, ni talia critica apparuerint. Saepius enim fit, ut priusquam alia crisis intrat, praecordia vel tendantur, vel in tumorem eleventur, aut doleant. 5) Quibus vero in

---

1) Celsus de Medicina L. II. c. 3.
2) Prosper Alpin. de praesag. vita et morte L. V. c. 11
3) Celsus de Medicina L. II c. 2.
4) Hipp. Coac. Praenot. b. 35. et Praenot. 80.
5) Prosper Alpin. de praesag. vita et morte L. V. c. 11. et. I. N. Petzold de Prognosi in febr. acut. §. 13.

febre continua caput dolet, et obscurum quiddam prae oculis apparet, aut etiam ignes micant ex oculis, et cardialgiae loco dextra, aut sinistra praecordiorum distentio quaedam percipitur, doloris et inflammationis expers, his narium profluvium vomitionis loco iamiam adfuturum spes est. Et iuvenibus illud potius expectandum est. Iis vero, qui trigesimum annum attigerint, et senioribus minus; verum vomitus in his expectari debent 6). Haemorrhagiam ergo criticam per nares futuram indicant palpitationes circa ventrem, praecordiorum anxietas, horumque nulla doloris notha praesente contentio, 7) cum capitis gravitate, surditate, et faciei rubro 8). Subitanea anxietas et, nonnullis coctionis signis in febre acuta praegressis, molestia ad scrobiculum cordis, pondus in ventriculo, et vomendi conatus naturam se materie sua peccante per vomitum liberare velle indicant 9). Si vero etiam rigor accesserit, et partes infra praecordium frigidas habuerit, citius adhuc vomit.s aderit 10). Ex quibus liquido nobis constat, praecordia vel etiam tensa aliquando op-

---

6) Hipp. Praenot. 390 et Galen de crisibus. III. c. 13.

7) Hipp. Praedict. I. 245. et H. Boerhaave Aphor. §. 741.

8) Hipp. Praedict. I. 250.

9) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 40. et Hipp. Popul. II. a. 75.

10) Hipp. Praenot. 380.

tima esse, quatenus criticae evacuationis nobis futurae sunt indicium 11). Praecordia semper tensa et inflata in febre continua putrida, mortem praedicunt aegroto 12). Quibus vero circa praecordium dolor fit, absque inflammatione, post quem febris oritur, terribilis non est, itemque bonum, ubi partes circa umbilicum, et pubem naturaliter crassae, planaeque sunt 13).

§. 2. Si vero aeger de pondere ventriculi, flatulentia intestinorum, mucositate oris, deperditoque appetitu queritur, signum est in febre acuta iam latitare in intestinis saburram. 1) Quibus nunc praecordia elevata, si non cum inflammatione fuerint, permurmurantia, cum lumborum dolore ardente, his alvi humectantur, si non flatus erumpant, aut urinae copia prodeat 2). Prodest autem, si dolor subdescenderit ad infernos locos. 3) Post alvum vero suppressam praecordia sublevata in tumorem mala sunt, maxime tabescentibus iamdiu et quibus alvi humectantur 4).

§. 3. Multis in aliis morbis diagnosin ex praecordiis trahere possumus. Antequam san-

---

11) Prosper Alpin. de praesag. vita et morte. L. V. c. 11.
12) H. Boerhaave Aphor. §. 735.
13) Hipp. Aphor. VI. 40. et Aphor. II. 35.
1) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 31.
2) Hipp. Coac. praenot. b. 65. et Aphor. IV. 73.
3) Hipp. Coac. praenot. b. 50.
4) ibidem. b. 85.

guis v. c. vomitu cruento eiiciatur, aegri per aliquod tempus anxietatem ad scrobiculum cordis, quae cibis sumtis augetur, 1) contractionem ac pondus, et sine febre tensionem ad costas spurias, vel maxime in latere sinistro lienem versus, aut etiam in dextro ad hepar sentiunt, tandem male se habentes sanguinem nigrum, grumosum evomunt. Si in hoc morbo venter nunc subito intumescit dolorosus, et durus, 2) respiratio anxia evadit, et alia signa etiam intrant cum convulsionibus coniuncta, mors finem imponit. 3) Qui autem spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transversum non existente, de pulmone vomunt. 4) Quibus dolores praecordiorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, hi sanguine per alvum egesto moriuntur. 5) Si vero lumborum dolor ad os ventriculi ascendit, unaque febris, horror, vomitus tenuis, niger, delirium, vocis iactura insequuntur, mors ante portas est. 6) Praecordia elevata, non dolentia

---

1) W. Haase Erkenntn. und Cur chron. Krankh. 1. B. S. 397 und Ios. Quarin Animadvers. pract. Viennae 1786. p. 194.

2) S. G Vogel Handb. der pract. Arzeneiwiss. V. Th. S. 75.

3) Lentin Beyträge, Supplementband S. 177 und de Stoerck praecept. med. pract. T. 1. p. 192.

4) Hipp. Coac. praenot. b. 360.

5) ibidem. b. 75.

6) Hipp. Praedict. l. 100.

cum sensu stomachi vacui, et cum doloribus in ventre acutis symptomata sunt Lienteriae, 7) quae periculosior est, si frequens deiectio cum sono ventris profluit. 8) Dolores prementes in stomacho et obtusos in scrobiculo cordis, et in lumbis cum rigore, et calore per vices habentes in fluxu coeliaco observamus. 9) Ex anginis citra iudicationem praecordii dolor cum impotentia ac torpore oriens, occidit occulte, etiamsi valde mansuete se habere putent. 10) Si post septimum diem febrienti aegroto supervenit morbus regius, tutum est mollibus tantummodo praecordiis substantibus. 11) Hoc morbo vero laborantibus praecordium dextrum durum fieri malum est 12).

§. 4. Molles, et doloris exortes tumores, et ad contactum cedentes diuturniores indicationes faciunt, et minus periculosi sunt. Sed et hi sexaginta dies transgredientes febre manente snppurantur. Consimilia vero significant et tumores circa ventrem his, qui sunt in praecordiis. Verum minus suppurant hi, quam illi. 1) Suppuratio

7) Dreyssig Handb. der med. Diagnost. §. 128.
8) Hipp. Praedict. II. 120.
9) Dreyssig Handb. der med. Diagnost. §. 131.
10) Hipp. Coac. Praenot. 205.
11) idem Aphor. IV. 62.
12) idem Aphor. VI. 42.
1) Hipp. Coac. praenot. b. 40. et de iudicat. 60. et Celsus de medicina L. II. c. 7.

vero ex dolore diuturno partium circa ventrem, malum. 2)

§. 5. Tumor autem in praecordio durus existens et dolorosus pessimus quidem est, si per totum fuerit praecordium. Si vero fuerit in altera parte, minus periculosus est in sinistra. 1) Significant autem eiusmodi tumores in principio quidem mortem brevi affuturam. 2) Quod paulo post Hippocrates ita limitasse visus est, ut non nisi magni, nec ii tamen omnes mortem praesagiant, neque semper, agens in praenot. 100: quicunque igitur tumores dolorosi sunt, et duri, et magni periculum mortis brevi fore significant. Quasi dixerit, huiusmodi tumores, id est viscerum inflammationes, si interimere aegrotos debeant, cito id facere; nam diu cum durant, suppurationem potius, quam mortem denotant futuram; quod ita habet: si febris vigesimum transcendit diem, et febris detinet, et tumor non desistit, in suppurationem verti contingit. 3) Quare tumores cum dolore in praecordiis, qui non ex inflammatis musculis, sed aut iecore aut ventriculo sunt, meticulosi, praesertim, si magna inflammatio. 4)

---

2) Hipp. Aphor. VII. 22.
1) idem Coac. praenot. b. 35. et Celsus de med. L. II. c. 4.
2) Hipp. Praenot. 90.
3) Hipp. Praenot. 90.
4) Prosper Alqin. de praesag vita et morte L. V. c. 12

§. 6. Pulsus in praecordio plerumque in morbis acutis turbationem indicat, aut delirium; verum oculos talium insuper intueri oportet. Si enim oculi frequenter moveantur furiosos hos fore timor est. 1) Signo hoc deficiente plerumque inflammationem viscerum in praecordiis significat, 2) et morbum periculosum 3). Ita oris ventriculi dolor, et pulsus praecordiorum febre refrigerata malum, tum alias, tum si tenuis sequatur sudor. 4) In morbis chronicis pulsus praecordii signum est spasmorum, si irregulariter intrat, et intervalla praebet, et cum aliis spasmis coniunctus est, ut in Hypochondria et Hysteria. Si pulsus contra regularis et constans observatur sine spasmis, et sine ulla febre, Aneurysma adesse putandum est 5).

§. 7. Dolor obtusus et urgens in scrobiculo cordis, si quid sumserit aegrotus, aut manu illum locum compresserit, indurationem alicuius ventriculi partis, si cum subitanea istorum reiectione complicatus sit, certe indicat. 1) Dolor vero ardens fixus et pungens in ipso stomachi loco, tensio to-

---

1) Hipp. Praenot. 85.
2) idem, Coac. praenot. b. 50. et Praenot. 85.
3) Celsus de medicina L. II. c 4.
4) Hipp. Coac. praenot. b. 55.
5) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 20.
1) Wichmann Ideen zur Diagnostik. Hannover 1800. B. I. §. 44.

tius praecordiorum regionis, febris, anxietas, ac singultus ab assumptis quibusvis mox, et cum subitanea istorum reiectione valde dolente, inflammationem ventriculi indicant. 2) Infantibus autem, qui mammas petunt, aut coagulum lactis, aut sordes haec symptomata iam provocant. 3) Contractio ad scrobiculum cordis nunquam in inflammatione ventriculi tanta est, quanta in diaphragmatis 4) inflammatione.

§. 8. Cardialgia et anxietate in scrobiculo cordis, magis quidem ad sinistrum latus, et doloribus non pungentibus, sed prementibus, qui intermissiones praebent, mox vero cum sensu ardente, et constringente saepe ad columnam vertebralem, saepe per oesophagum ad scapulam usque redeunt, se manifestat. 1) Febris deest. Praecordia in paroxysmo aut constringuntur, et periculosior fit morbus, si cartilago ensiformis introrsum retrahitur, 2) aut ventriculus aëre extricato multum distenditur, distentus acriter dolet. Cardia sive orificium ventriculi superius spastice constringitur, qua contractione orificiorum ventriculi

---

2) Aretaeus de caus. et sign. morb. acut. L. II. c. 6. et H. Boerhaave Aphor. de cognosc. et curand. morb. §. 951. et P. Frank Epitome T. II. §. 230.

3) Danz. med. Zeichenlehre §. 329.

4) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 181.

1) Diagnostik von Dreyssig. S. 172.

2) L. G. Klein Interpres clin. Francof. et Lips. 1771. p. 48.

flatuum collectorum eruptio, vomitusque salutaris prohibetur. 3) Seniorem frequenter impetens cardialgia mortem repentinam significat. 4)

§. 9. Dolor sub sterno ardens, vel ad lumbos, vel sub costarum fornice profundus, acutissimus cum anxietate, respiratione parva, solo fere thorace peracta, et demum cum febre acuta, ac praecordiis introrsum revulsis contactu, inspirationeque valde dolentibus inflammationem diaphragmatis indicat. 1) Hanc contractionem praecordiorum etiam videmus, si septum transversum percussum est, 2) at saepe in paraphrenitide. 3)

§. 10. At lien, ubi ab inflammatione affectus est, intumescit sub febre acuta, simulque cum eo praecordium sinistrum. Dolor hoc loco ab attactu, et sub inspiratione auctus, nunc acutissimus, nunc obtusus costarum spuriarum limbum plerumque excedit. 1) Quando lien a scirrho corripitur, dolor non acer, tumor autem ingens per respirationem maior exoritur; siquidem in dextram partem ad iecur usque tota communione increscere

---

3) M. Stoll. praelect. in divers. morb. chron. T. II. p. 141.

4) Hipp. Coac. praenot. 6. 60.

1) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. II. §. 567. et P. Frank Epitome T. II. §. 210.

2) Celsus de med. L. V. c. 26.

3) H. Boerhaave Aphor. De cognosc. et curand. morb. §. 909.

1) Celsus de medicina L. IV. c. 9. et P. Frank Epitome T. II. §. 252.

visus est. Verum si ſorte suppuret, tractabilis est utique, et in parte summa, ubi puris quoque officina est, tactui cedit; quando vero pus non ducit, tactui omnino resistit. 2)

§. 11. Magnus in praecordio dextro aestus, et tumor durus, et dolorosus simul cum febre acuta inflammationem hepatis indicat. Doloris autem species variae, et diversae sunt: nonnunquam enim dextra in parte dolor, qui ab inspiratione augetur, et attactum non concedit, adeo defingitur, ut acutum telum adactum esse videatur 1) lancinans, et pungens, si ad convexam inflammatio partem hepar occupet. 2) At si concavam hepatis regionem vexaverit, praecordia tensa sunt, dolor autem obtusus, et cum summa gravitate coniunctus, ab inspiratione, et attactu non crescit. 3) Cui vero sinister hepatis lobulus inflammatus est, ei ad sinistrum praecordium, ad lienem usque extensus est tumor, et tensio, tactusque impatientia. Resolutionem morbi dolor in liene accedens praedicit. 4) Pulsationes vero in hepatis loco, et dolores prementes, et obtusi, qui tactum recusant, et

2) Aretaeus de caus. et signis morb. diutur. L. l. c. 14.

1) Aretaeus de caus. et sign. morb. acut. L. ll. c. 7.

2) J. Ch. Reil über Erkenntniss und Cur der Fieber. Halle 1797. B. ll. S. 587.

3) Celsus de medicina. L. IV. c. 8. et K. Sprengel Handb. der Pathol B. ll. §. 592.

4) Reil über Erkenntn. u. Cur d. Fieb. B. ll. §. 224.

praecordium dextra parte tumidum aegroto exulcerationem in hepate indicant, etiamsi alia iam sileant morbi symptomata. Ulcus vero, quod intus rumpitur, optimum est, siquidem nihil tumoris, doloris et caloris alieni foras edat in superficiem. Quae vero suppurariones his contrariae sunt, lethales. Suppuratio contra, quae foras tendit bona est, si in brevissimum conum colligitur. 5) At dolor a ventriculo ad dextrum praecordium usque trahens, qui tactu augetur, et ad scapulam ascendens cum plenitudinis ad hepar sensu, et continua interim febricula, chronicam indicat hepatis inflammationem. 6) Iis vero, qui hoc morbo laborant, diarrhoea et venter, ut in tympanite elevatus, et tensus malum est signum. 7)

§. 12. Indurationem pancreatis, inflammatione plerumque praegressa ex doloribus in regione stomachi vehementibns, et cum sensu gravitatis coniunctis cognoscimus. Simul intrare solet respiratio difficilis, nausea, et vomitus. Anxietas et tumor praecordiorum durus ita, ut spasmi ac inflationes totius ventris aegrotum vexent. 1) Infantibus, qui tabescunt, et diarrhoea vomituque labo-

---

5) Hipp. Coacae Praenot. b. 45.

6) Aretaeus de causis et signis morb. diut. L. I. c. 13. P. Frank Epitome. T. II §. 247.

7) Reil über Erkennt. u. Cur d. Fieb. B. II. §. 219.

1) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. II. §. 701.

rant, praecordia dura, et tensa cum aliis etiam symptomatibus signa sunt huius morbi 2).

De Signis ex lumbis, et ex Abdomine inferiore.

§. 1. Dolores, qui lumbos occupant in universum congestiones aut ad uterum, aut ad vesicam, aut ad renes indicant. 1) Saepe vero dolor intestinorum in abdomine inferiore, quocum lumbi dolent, genua degravantur, neque febris subest primarum viarum sordes, et iudicium saepe per alvum futurum praedicit. 2) Contra si iste dolor, qui et lumbos occupat, et ea loca, quae supra umbilicum sunt, et tormina neque aliis, neque remediis abiguntur, in tympaniten desinunt. 3) In Rheumatismo, ubi posthac dolores tensionemque in lumbis, et frequentiorem mingendi conatum experiuntur aegri, bonum plerumque signum est, quia communiter urina crassa turbida subsequitur. 4) Quibus vero circa lumbos tenues diuturni dolores ad praecordium se revolventes, et ciborum fastidium

---

2) Fr. Hoffmann, et Holdefreund diss. de prancreatis morb. 4 Halle 1713.

1) W. Haase Erkennt. und Cur chron. Krankh. B. I. S. 556

2) Prosper Alpin. de praesagienda vita et morte. L. II. c. 19. et G. Gruner Semiot. §. 451.

3) Hipp. Aphor. IV. 11.

4) de Stoerck praecept. med. pract. T. I. p. 241.

inducentes una cum febre, his ad caput dolor intentus progressus, repente convulsorio modo occidit. 5) Malum etiam praedicit abdomen in febribus acutis durum et tensum, nisi crisis expectanda sit 6).

§. 2. Simili modo dolores cum febre prementes ab initio et profundos, mox autem ardentes, et acutos frequentius sinistrum lumborum, quam dextrum latus, ubi renes haerent, occupare videmus. Saepe hic dolor per ureterum decursum ad vesicam usque, aut per vasa spermatica per inguinem in testem, tunc facile retractum, iaculari visus, observatur. Lumbi magnum calorem manui tangenti demonstrantes ad tactum multum dolent. Haec symptomata inflammationem renum indicant. 1) Si vero ad pelvim renalem a calculosa materia irritatio fiat, eadem fere symptomata intrare videmus. Lumbi calent, ac decubitus in aliam partem, quam in dorsum, per augmentum doloris in latus affectum, et per intolerabilem in adversam partem, aut in ventrem procumbenti sensum, praepeditur 2).

§. 3. Facilis quidem hoc in morbo, vel non

---

5) Hipp. Praedict. I. 145.
6) Danz Zeichenlehre. §. 76.
1) Aretaeus de caus. et sign. morb. acut. L. II. c. 9. et H. Boerhaave Aphor. de cognosc. et curand. morb. §. 995.
2) P. Frank Epitome. T. II. §. 258.

advertente aegroto in suppurationem est transitus. Sic dolor, qui modo in renum, et vesicae regione, modo circa septum transversum, et dextra praecordia cum horrore inordinato, rigore pauco, et febricula incidit, pus ex urinae viis excretum iri praesignificat. 1) Interim si absque resolutionis aut suppurationis signis durities hoc in viscere, ad tactum manifesta, sed doloris expers supersit, si aegrotanti ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videatur, mingatque pauca, tunc de latente ad renem scirrho, qui ad insigne volumen increvisse visus est, vix dubium manet 2).

§. 4. Mollis, et non dolens vesicae inflatio, vel tensio, vel gravitas in regione pubis, ipsiusque lotii crebrius mittendi necessitas crisin praenuntiant febrienti per urinas futuram. 1) Ubi vero simul cum febre dolores pungentes, et acutissimi in loco ipso, ubi vesica est, et in ureteribus intrant, et tumor super pubem tensus, pulsans, et ardens omnem recusat attactum, inflammationem vesicae indicat. 2) Conatus mingendi quidem adest, sed parce, et cum dolore tantum vehementi aegrotus hoc morbo laborans lotium mittit. Plerumque pars aliqua, raro omnis vesica ab inflam-

---

1) Galen loc. Affect. VI. 4.
2) P. Frank Epitome. T. II. §. 261.
1) J. Petzold de prognosi in febr. acut. §. 27.
2) Aretaeus de caus. et sign. morb. acut. L. II. c. 10. et Celsus de medicina. L. II. c. 7.

matione corripitur, in quo loco etiam dolores maxime urgent. 3) Si ad collum vesicae, ut quae pars crassior, et causis inflammationis maxime exposita observatur, morbus haeret, ad perinaei regionem summi certe doloris sensatio figetur, atque ex urina illico suppressa tumor ille ovalis, et oblongus ex imo abdomine magis, quam in quocunque alio cystitidis casu assurget. 4) Quaevis autem cystitis perniciosa est. 5) Indurationes, inflammatione praegressa, atque callositates ad vesicam, maxime vero ad eius cervicem, copiosae medicorum observationes testantur. 6) Ad immensam subinde molem vesica, parietibus suis undique densitate atque duritie auctis increvisse, atque ad umbilicum fere usque extensa, conspecta est. 7) Dolores tandem in regione vesicae, dum aeger mictu cruento laborat, sanguinem ex vesica ipsa profluentem indicant. Dolores illi vero ad lumbos ascendentes sanguinem ex ureteribus fluentem arguunt. 8)

§. 5. Tumor abdominis inferioris manifestus cum sensu gravitatis, et dolor ab attactu auctus, eidemque uteri loco fixe inhaerens, et ardens inflammationem uteri nobis indicat. Inflammatur

---

3) Schmalz Diagnostik in Tabellen. S. 134.
4) P. Frank Epitome. T. II. §. 265.
5) Hipp. Praenot. 295.
6) Lentin Beiträge. Leipz. 1804. B. III. 35. et Wichmann Ideen zur Diagnostik. B. 3. §. 90.
7) P. Frank Epitome. T. II. §. 267.
8) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. 4 Th. S. 194.

vero uterus nunc ex parte, nunc per omnem substantiam. Si ad fundum huius visceris haereat malum, tunc tumor subrotundus, manifeste circúmscriptus, uterique ipsius figurae correspondens, et durus, ac dolens, ut ne contactum quidem foris admittat in regione super pube media comparet. 1) Si posteriores uteri partes solum inflammatae sunt, dolor circa lumbos fit, et stercora supprimuntur. Si partes matricis anteriores incendantur, tunc dolor ardens circa pectinem fit, abdomen inferius tumet, et urinae stillicidium, et emittendae difficultas, ut in vesicae inflammatione aegrotum vexat. In cystitide vero nunquam vagina adeo incenditur, ut in uteri inflammatione. 2) At lateribus uteri inflammatis, et lumbi tenduntur, et gravantur, plerumque etiam uterus in puerperis in eam partem declinat, ac retrahitur, qua inflammatus est; 3) unde tumorem huius lateris ardentem, et valde dolentem invenimus. Suppuratio autem indicatur, si circa puris generationem dolores augentur, tumor super pubem interdum, ut abdominis mentiatur hydropem, attollitur. Dolor punctorius, vel pulsans, et rigor accedit. 4) Tumor ille, si durus, et inaequalis, ac doloris expers cum

---

1) S. G. Vogel ibid. IV Th. S. 418.
2) K. Sprengel Handb. der Pathol. L. II. §. 686.
3) P Frank Epitome T. II. § 225.
4) Hipp. Praedict. II. b. 165. et S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. IV Th. S. 423.

sensu gravitatis resistit, et aegrotae tantum de tensione in hoc loco conqueruntur, indurationem, et scirrhum uteri indicat. 5) Dolores spurii uteri inflammati doloribus saepe similes sunt, si valde vehementes aegrotam vexant; semper autem intervallis, sint brevissimis, nothi sunt, febre porro carent, et tactu non augentur. 6)

§. 6. Cum puellae ad maturitatem pervenerunt, et tempus adest fluxus menstrui, palpitationes cordis, aestus, aut dolor circa os ventriculi, tensiones denique, et tractiones molestae in lumbis, osse sacro, et abdomine inferiore molimina mensium praeter alia signa significant. 1) Cum gravida vero dolores urgentes et ex lumbis ad uterum trahentes sentit, qui mox intrant, mox cum rigore supponunt, tempusque ad partum nondum adsit, foemina patitur abortum. 2) Si partus nunc instat, et gravida dolores a lumbis, et osse sacro ortos ad pudenda usque persentit urgentes, abdomen durius fit, sensimque orificium uteri aperitur, dolores sunt ad partum veri. 3) Dolores vero spu-

---

5) Aretaeus de causis et signis morb. diuturn. L. II. c. 11. et K. Sprengel Handb. der Pathol. B. II. §. 691.

6) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. T. IV. S. 419.

1) Pezold de prognosi in febr. acut. §. 23 et Hipp. Coac. praenot. c. 195.

2) Hipp. de natur. mul. 15 et W. Haase Erkenntn. u. Cur chron. Krankh I B. S. 503.

3) E. v. Siebold Entbindungskunde. 1 Th. §. 378.

rii in abdomine, et circa regionem umbilicalem suum habent locum, et parturientibus molestiores, quam ipsi veri existunt. 4)

§. 7. Abdomen inferius, quod tempore menstruationis tumet, et post aliquot dies collabitur, sanguinem in utero coagulatum indicat. Sin autem celeriter, et cum duritie tumescit, et segmentum uteri profundum, molle, ac pelliceum est, corpus alienum, sit ovulum corruptum, sit sanguis, aut sit aqua in cavo uteri indicat. 1) At ubi longum per tempus motus infantis non perceperint gravidae, qui antea vehementes valde erant, ubi praeterea hae mulieres pondus grave, insolitum in abdomine inferiore sentiunt, quod in omnem devolvitur partem, prout corpus ab uno ad alterum latus movetur, infans mortuus est. 2) Si post partum porro uterum supra ossa pubis ut globum, aut duram rotundamque protuberantiam tangendo non deprehendimus, et si ab obstetrice certiores reddamur, nihil amplius in utero esse reliqui, haemorrhagiam ex sola hac causa ortum ducere tuto concludere licet. 3) Puerperis autem bonum, si primis post partum diebus dolores in utero cum fluxu lochiorum largo intrant, 4) his autem suppressis dolores

---

4) de Stoerck Praecept. med. pract. T. II. p. 177.
1) Danz allgem. Zeichenlehre. §. 206.
2) de Stoerck praecept. med. pract. T. II. p. 172.
3) E. v. Siebold Entbindungsk. B. I. §. 428.
4) le Roy Vorherverkündigung in hitz. Krankheiten. S. 96.

illi vehementes cum abdominis tensione, et oculorum caligatione, ac animi defectione inflammationem uteri praedicunt. 5)

§. 8. Abdomen calidum, quod tam celeriter intumescit, ut iam secundo mense volumen verae graviditatis auctum, nullam autem fluctuationem, nullumque sonum nobis praebeat, molam in utero indicat. 1) Fundus uteri saepe forma trianguli circumscriptus irregulariter, et magis semper quam et corpus, et collum intumescit. 2) Uterus minus fixus est, sed quasi huc illuc devolutus cum quodam gravitatis sensu, quoties foemina locum sedemque lectuli permutat. Motus foetus nullus, nullaque febris. Ex duritie et tensione tumoris praedicere possumus, qualis sit mola. Sanguinea nempe ventrem magis elatum ad mensem quartum, vel quintum habet, et motum foetus nullum. Mola ventosa sine ullo gravitatis, et globuli huc illuc devoluti sensu est, et excusso aëre illico cessat. Mola carnosa, et calcarea dura animadvertitur per integumenta 3). Tumor talis est dolorosus, et motus, quos interdum foemina sentit non a foetu, sed flatus sunt. 4).

5) Hipp. Coac. Praenot. c. 150. et Popular. I. hist. 4.

1) Mercatus de affect. mul. L. III. c. 8. et E. v. Siebold Entbindungsk. B. I §. 441.

2) Schmalz Diagnostik in Tab. S. 160.

3) Ch. G. Gruner Semiot. §. 661.

4) Baudeloque's Anl. zur Entbindungsk. 2te Ausgabe übers. v. Meckel. B. II. S. 517.

Aegrotis vero, quae uteri polypo laborant, abdomen inferius tarde intumescit, et locus, quo polypus sedem suam habet non durus, sed tensus est, magis prominet, et dolet, nullamque praebet fluctuationem 5). Alia signa ex segmento uteri inferiore capienda sunt. Abdomen inferius tumidum, ac tensum, si aegrota leucorrhoea laborat aut proctorrhoea, et de doloribus trahentibus in abdomine queritur, chlorosin arguit 6).

§. 9). Abdomen inferius iis, quae in utero se concepisse putant, secundo mense planum, signum est conceptionis 1); post partum autem, si planum sit, et inane, ac globulus super pubem nullus sentiatur, inversionem uteri indicat; pronationem vero, si dysuria, et dolores se adiungunt 2). Cetera, et certiora symptomata exploratio per vaginam illustrabit. At venter gravidis propendulus proclinationem uteri anteriorem indicat 3).

§. 10. Tumor inter pubem, et umbilicum, qui circumscriptus figurae uteri respondet, tactu cedit 1), et frigidus sensim sensimque crescit, Hy-

---

5) Schmalz Diagnostik in Tab. S. 160.

6) W. Haase Erkenntn u. Cur chron Krankh. I. B. S. 556. und E. v. Siebold Frauenz. Krank. I. Th. S. 279.

1) E. v. Siebold Entbindungskunde I. B. S 307.

2) ibidem I. B § 602. et §. 603.

3) Schmalz Diagnostik in Tab. S. 157.

1) de Gregorini diss. de Hydrope uteri. p. 22.

dropem uteri indicat. Morbo oriente omnibus caret doloribus ille tumor, et aegrota tantum de sensu gravitatis in abdomine inferiore, et de pressu ad pubem queritur 2). Interdum etiam minuitur volumen abdominis, si aqua per vaginam profluit. Talem vero fluxum dolores significant in abdomine inferiore, modo dextro, modo sinistro in latere, et anxietas et pulsationes in scrobiculo cordis 3). Uterus ab hoc morbo correptus aequalem, et frigidum tumorem ostendit, et in dextro latere, ut in graviditate vera non prominet 4). Celerius etiam intumescit uterus, quam si gravidus sit, et nisi saccatus sit hydrops, etiam fluctuationem manifestat. Raro autem diuturniorem nobis praebet decursum, quam per sex menses 5).

§. 11. Tumor aut sinistro aut dextro in latere abdominis inferioris circumscriptus, et calidus, qui sensim sensimque super cristam ossis ilei crescit, et se extendit cum sensu gravitatis, serius autem cum doloribus obtusis coniunctus et mobilis, plerumque o arium tumidum indicat 1). Hydropem vero ovarii talis praenuntiat tumor, qui

---

2) Garandaeus de Affectib. mulier. Hannov. 1619. I. p. 146.

3) K. Sprengel Handb. der Pathol. B. III §. 762.

4) Roederer Anfangsgründe der Geburtsh. übers. v. Henkeneus S. 97.

5) Verandaeus de Affect. mulier. L. I. p. 146.

1) Schmalz Diagnostik in Tab. S. 158.

frigidus fluctuationem, aut motus saltem aliquos aegrotae praebet 2). De doloribus etiam illo loco fixis queritur femina, et orificium uteri formam suam, ut in graviditate vera non mutat. Scirrhus ovarii tumore duro, et gibboso cognoscitur.

De colore ventris, ut signo.

Praecordia viridia cum meteorismo mortem indicant 1); sic maculae in ventre virides, si quis venena sumserit, summam humorum corruptionem, et mortem praedicunt 2). In acutis morbis in lumbis, pudendis, atque aliis partibus maculae cum lividae, tum nigrae saevam, ac veluti pestilentem putredinem humorum testantur 3). Sic pustulae, ubi purpureae, vel lividae ventrem, ac corpus totum deturpant, in febre continua putrida, fere moritur aegrotus 4). Locus in ventre celeriter rubescens et ardens, inflammationem intestini hic subiacentis indicat. Talis v. c. locus celeriter rubescens, et dolens infra umbilicum, si femina utero laboret, eum inflammatum esse

---

2) Kurt Sprengel Handbuch der Pathol. B. III. §. 773.

1) Danz med. Zeichenlehre. §. 251.

2) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. B. II. S. 6. et Prosper Alpin. de praes. xita et morte L. V. c. 4.

3) Prosp. Alpin de praesag. vita et morte L. V. c. 4.

4) H. Boerhaave Aphor. de cognosc. et curand. morb. §. 735.

certiores nos facit 5). Hydropico vero plerumque mortem praenuntiat 6). Frigidum, vel maculis ex atro rubentibus, lividis, aut nigricantibus deturpatum abdomen in puerperis, aliisque aegris intestinorum inflammatione leborantibus, siderata intestina esse denotat, ac proximam mortem praenuntiat 7). Cutis vero abdominis brevi post partum subfusca et rugosa, saepe etiam maculis albis, ut cicatricibus variolarum deturpata, nisi alia morbi alicuius signa intrant, nil adversarii puerperis indicat 8).

---

5) S. G. Vogel Handb. der pract. Arzneiwiss. 4 Th. S. 419.
6) K. Sprengel Handb. der Semiot. §. 135.
7) I. N. Petzold de prognosi in febr. acut. §. 59.
8) E. v. Siebold Entbindungskunde B. I. §. 428.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Carolus Nagel, Leobschützii, Silesiae superioris oppido, die XVIImo Septembris anni MDCCXCVIII natus sum patre optimo Leopoldo Nagel Philosophiae, Medicinae et Chirurgiae Doctore, atque Adiuncto Collegii medici et sanitatis; et Anna Maria e gente Stiebleriana. Patrem dilectissimum, qui nosocomio militari anno MDCCCXIII praefuit, iam fato mihi ereptum lacrymis prosequor, semperque lugebo. — Ab anno aetatis undecimo humaniores, quas vocant literas in gymnasio Leobschützensi adgressus ibidemque Virorum eruditissimorum institutionibus per sex annos gavisus sum. Hac schola anno MDCCCXV relicta, gymnasium, quod nomine St. Mariae Vratislaviae floret, adii, ubi per annum literis operam navavi ducibus viris maxime venerandis. Examine peracto die XVII mens. Augusti anno MDCCCXVI a Cel. Jungnitz t. t. Rect. Magn. civibus academicis, atque a Cel. Bartels t. t.

Decano gratiosae facultatis medicae adscriptus sum. Historiam universalem Cel. Wachler, Logicen Cel. Rochowsky me docuerunt. Lectionibus physicis, et anthropologicis Cel. Steffens interfui. Cel. Treviranum de elementis botanices et physiologiae plantarum explicantem, Cel. Gravenhorst de zoologia, Cel. Fischer de chemia experimentali et pharmaceutica audivi disserentes. Cel. Otto anatomiam theoreticam et practicam, et comparatam, et sectiones cadaverum forenses legitime instituendas, nec minus foetus historiam me docuit. Physiologiam et pathologiam Cel. Bartels, Semioticen Cel. Klose debeo, quem etiam de morbis mentis exponentem frequentavi. Cel. Benedict medicinae encyclopaediam, chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, atque artem fascias rite adplicandi me docuit, eoque duce medicinam in Clinico chirurgico, et ophthalmiatrico exercui. Cel. Remer, Viro mihi summe colendo, materiam medicam, therapiam generalem et specialem, methodum formulas medicas rite concinnandi, pertractanti, adfui, eoque per annum, et quod excurrit in clinico medico duce usus sum. Cel. Andrée arte obstetricia me instruxit, et Clinicum obstetricium frequentare mihi permisit. — Hac in Musarum sede per triennium et sex menses lectiones iam enumeratas frequentavi, armaque per anni spatium in legione vigesima secunda peditum tuli. — Exeunte mense

Aprili huius anni in universitatem Berolinensem me contuli, ubi a Cel. Goeschen t. t. Rect. Magn. in numerum civium academicorum receptus sum. In institutis clinicis ducibus Ill. Berends, et Ill. Graefe versatus sum, exercitationesque obstetricas in machina phantome Ill. de Siebold frequentavi. Quorum omnium Ill. Virorum memoriam gratissimam nulla unquam oblivio in animo meo exstinguet. —

Tentamine et examine rigoroso rite peractis, et dissertatione hodierno die defensa, gratiosam Facultatem medicam, ut summos in Medicina et Chirurgia honores in me conferre velit, oro rogoque. —

THESES DEFENDENDAE.

I. Dentitio non est morbus.

II. Rhachitis et morbus scrofulosus diversae sunt formae unius eiusdemque morbi.

III. Zona non est Erysipelas vesiculosum.

IV. Synchondrotomia ex arte obstetricia omnino reiicienda.